BURKHARDUS DE HORNECK · VALESCUS DE TARANTA · ARNOLDUS DE VILLANOVA · PETRUS DE ABANO

Salzburg, 1474-1476

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8142
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

vnde si volumus conseruare distemperanciam frigidam et siccam in 2° gradu domus frigida et sicca in secundo gradu, nec talia intendunt tum nullum agens agit vltra suam speciem, licet contrarium dicat Hali. Dieta resumptiua vero est que competit debilibus et depauperatis calore et spiritu, et est nutriens, et appellatur dieta temperata scilicet calida et humida vergens ad temperamentum seu temperata vergens aliquo modo ad calidum et humidum, talia enim de facili digeruntur et penetrant resumunt et confortant. Et nota quod tempus in quo fit putredo in sanguine est minus quam sit tempus in quo fit in colera. Et ita voluit princeps cum dixit, quod putrefactio non habet tempus cum sit quedam alteratio, et motus. Ex parte cibi causa putrefactionis est quadruplex prima est malicia sue subiecti exemplum sicut tubera et fungi, pisces malarum aquarum et omnis caro tendit ad corruptionem. Secunda est aptitudo ad recipiendum eam quamuis sit bone subiecti ut lac. Tertia est humiditas superflua aquosa ut est de fructibus humidis, Quarta est cum non bene digeritur nutriens in stomacho et epate propter causam in ipso cibo, vel propter impediens bonam digestionem fieri quamuis in se sit aptus bene digeri. Nam sit ineptus.

Dieta resumptiua.

Tempus putrefactionis in sanguine

Causa putrefactionis est quadruplex in cibo